



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

IV. Vlterior verioris sententiæ probatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

est, ab existentia distinguitur, ac proprie ens, aut aliquid non est. Unde Deum nequire esse sine possibilitate creaturaru, ab eaq; pendere idem esse, ac à nihilo pendere, & cum nihilo connecti, quod potius ad perfectionem, quàm ad imperfectionem attinet. Hæc solutio speciosa quidem est, sed præter speciem nihil probabilitatis habet: nam si connexio Dei cum creaturarum existentia, aut extremo aliquo, quod simpliciter aliquid sit, dependentiam, & imperfectionem denotat, quantò magis eam arguet connexio, cum eo, quod simpliciter nihil, omnisque perfectionis expert. Confirmatur, & declaratur: connexio vnius extremi cum alio eò maiorem imperfectionem arguit, quò terminus connexionis imperfectior est: quare maiorem imperfectionem Deo affingeret eius cum existentia formicæ connexio, quàm si cum supremo Angelo connecteretur: quod si terminus nullius imperfectionis sit connexio cum illo, nullam imperfectionem arguet, vt in connexionem personarum Triados cernere est: at quod simpliciter nihil est, eo ipso imperfectissimum est: si qua igitur connexio imperfectionem indicat, vel potius adstruit; sanè ea potissimè, quæ est cum nihilo. Itaque pendere simpliciter à nihilo, & cum nihilo simpliciter connecti bifariam intelligi potest. Primò, vt idem sit, quod simpliciter non connecti cum vilo extremo, qualecunq; demum sit, & siue simpliciter aliquid sit, siue non: & sic cum nihilo connecti, & à nihilo pendere nullius imperfectionis est, cum non tam sit connexio, & dependentia, quàm vtriusque carentia, seu negatio. Secundò, vt idem sit, quod re vera connecti cum aliquo extremo, quod simpliciter nihil, & secundum quid aliquid sit: & hæc connexio imperfectionem, & dependentiam arguit. At huiusmodi est connexio, quæ reperitur inter Deum, & creaturas possibles, si qua inter eos reperitur: ergo, &c.

26. Alij respondent ad dependentiam à possibilitate requiri, vt possibilitas possit esse, & non esse; sine hæc enim contingentia, & indifferentia Deum à possibilitate creaturæ pendulum, & quasi suspensum esse non posse, vt vel ex ipsius vocibus perspicuum est: cum ergo possibilitas creaturarum necessaria sit, & ad esse, vel non esse indifferens non sit, mirandum non esse, quod omnipotentiam Dei pendentem, & quasi suspensam tenere non possit. Contra tamen, quia vt creatura à priori à Deo depèdat, & quasi suspensa sit, necessum non est, vt Deus possit esse, vel non esse: ergo vt Deus à posteriori dependeat à creaturarum possibilitate, necesse non erit, vt hæc possit esse, & non esse. Rursus materia cœlestis dependet à posteriori à formâ cœlesti, cum tamen hæc non possit non esse, illa supposita; non possit, inquam, ex naturâ rei. Idem cernere est in anima nostrâ, quæ, si distinguitur realiter à suis potentiis, intellectiua verbi gratia & volitiua, sanè ab iis non potest non dependere: & tamen non sunt indifferentes ad esse vel non esse, supposita existentia animæ: sed potius ex hac suppositione necessaria, vel naturaliter, vel, vt plures antumant, etiam Metaphysicè, & in ordine ad potentiam Dei extraordinariam, & absolutam. Demum alij respondent, dependentiam à posteriori cum dependentia à priori ab alio coniunctam esse: ideo enim materia à posteriori dependet à formâ, quia causâ materiæ primæ pro-

ximè expedita ad illam producendam est ex natura rei determinata ad formam ponendam: cum ergo Deus à priori ab alio pendere nequeat, nec à posteriori etiam ab alio pendere poterit: Contra tamen, quia si Deus haberet connexionem essentiallem cum existentia alicuius creaturæ, certè ab ea à posteriori dependeret, & tamen à nullo à priori in eâ hypothesi dependeret: ergo quamuis de facto à nullo à priori dependeat, à posteriori tamen à possibilitate creaturarum dependebit, vbi semel cum eâ connectatur.

## CAPVT IV.

*Vterior verioris Sententia probatio.*

27. Argumentor secundò: Deus secundum prædicata essentialia, & quidditativa præcisè sumptus non est absolutè potens producere res creatas: non ergo connectitur essentialiter cum illis, nec habet ad eas ordinem, aut relationem transcendentalem. Id probatur: quoniam ideo Deus est potens absolutè producere creaturas, quia secundum se non repugnant: & non è contrario ideo possibles, & nò repugnantes sunt, quia Deus pro priori est potens illas producere: Deus igitur secundum se, & essentialiter sumptus haud est potens producere creaturas: sicut igni essentialia esse nequit, quod proximè potens sit calefacere passum, quia ei extrinsecus applicatur, & non ideo applicatur, quia prius proximè potens est, aliàs applicatio superflueret. Declaratur: si Deo essentialia esset, quod absolute potens sit producere creaturas, sanè ea denominatio absolute potentis creaturarum non repugnantia, & possibilitate posterior esse non posset: Deus enim, qui primum ens est, nihil prius, aut antèritus patitur: at denominatio absolute potentis producere creaturas earum non repugnantia posterior est, vt ex causalibus superius positis liquet: igitur Deo essentialis non est talis denominatio, sicut ad eius ad creaturas ordinem transcendentalem oporteret. Porro autem veritas earum causalium suadet: quia ideo Deus nequit producere chimæram, quia chimæra repugnat, & non è conuerso: igitur etiam ideo creaturas producere valet, quia non repugnant; & non conuersim. Antecedens proximè positum est B. Thomæ 1. part. quæst. 25. art. 3. & probatur: quia non posse chimæram producere non oritur ex defectu virtutis in Deo: igitur ex ipsa repugnantia chimære oritur: ac proinde ideo à priori Deus non potest producere chimæram, quia hæc ex se, suisque prædicatis est repugnans, atque impossibilis. Tum etiam constans est Theologorum opinio, ideo Deum prohibere, & odisse objecta intrinsecè, & essentialiter mala, quia mala sunt; & non ideo mala esse malitia quidem radicali, & primaria, quia Deus ea prohibet, odiosè prosequitur: similiter ergo ob id Deus producere nequibit chimæram essentialiter repugnantem, quia repugnat, & non è conuerso.

28. Respondent aliqui Recentiores, Deum quidem non esse essentialiter, & secundum se non potentem producere chimæram: nec cum eius intrinseca repugnantia connecti: cæterim hoc non obstantè esse essentialiter potentem producere creaturas, & cum earum possibilitate connexum: quare

quare de vtrisque causalibus supra positus diuerso modo esse philosophandum. Rationem autem disparitatis desumendam esse ex perfectione diuina virtutis: ad quam inquirunt, spectat, vt essentialiter possit creaturas producere, non verò vt chimæras producere absolute non possit: vtue cum illis, non verò cum his connectatur. Impugnantur tamen, qui sic respondent: quoniam si Deus connecteretur essentialiter cum creatura possibili, eamque aut possibilem denominaret, aut possibilitatem ei intrinsecam essentialiter inferret; pari ratione Deus cum chimæra connecteretur, eamque repugnantem denominaret, aut repugnantiam eius intrinsecam fundaret, quatenus pro priori, & essentialiter impotens, seu non potens eam producere: at hoc posterius renuntiat: ergo & illud prius non admittent, sibi si constare velint. Sequela probatur: tum quia creatura possibilis est radix repugnantia chimæra, eamque essentialiter infert: ideo enim homo-equus verbi gratia repugnat, quia prædicata realia hominis, & equi essentialiter distincta sunt, atque impossibilia: ergo si Deus cum creaturis possibilibus connectitur, & cum repugnantia impossibilium connectitur: tum etiam quia plures sunt creaturæ possibilis, quæ ex speciali suo modo tendendi chimæras essentialiter respiciunt; cuiusmodi sunt cognitio essentialiter representans chimæram, & actus voluntatis, quo quis in impossibilia afficitur: fieri ergo nequit, vt Deus cum istiusmodi creaturis essentialiter connexus sit, quin etiam cum repugnantia chimæra connectatur.

29. Dices, hac nostra impugnatione tantum euinci connexionem mediatam Dei cum repugnantia impossibilium; secus verò immediatam. Contra tamen sic argumentor: Non minus repugnat Deo connexio mediata cum chimæra, quam immediata: Sed relatio transcendentalis Dei ad creaturas possibilem infert per te connexionem mediatam cum repugnantia impossibilium: ergo relatio transcendentalis ad creaturas, & cum eisdem connexio Deo repugnat. Maior probatur: quia si Deus medijs creaturis cum chimæra essentialiter connectitur, certè posse Deum producere creaturas erit virtualiter non posse absolute chimæras producere: proinde Deus erit essentialiter non potens, siue impotens producere creaturas: hoc solo discrimine, Quod posse sit ei essentialiter per prius, & non posse per posterius; quemadmodum homini rationalitas prius, & rifibilitas posterius physice essentialis est. Ex quo vltèrius fit, vt Deus non sit, quantum est ex se, potens producere chimæram, siue vt non habeat talem entitatem ac perfectionem, quæ deficienter repugnantia chimæra, maneret tamen, chimæramque posset producere: at ex eo non conuenit Deo, iuxta aduersarios, immediata connexio cum chimæra, quia sequeretur, Deum non futurum, quantum est de se, absolute potentem producere chimæram: igitur etiam & connexio mediata cum chimæra (ex qua idem absurdum consequi probatum est) Deo similiter repugnat.

30. Secundò impugnantur iidem Rendentiores: quia præter intentum manifestè nobis intentum largiuntur: videlicet quod Deus non sit essentialiter, ac per se præcisè potens producere creaturas, proinde quod nullam ad eas habeat re-

lationem, aut ordinem transcendentalem. Quod hac ratione demonstro. Si deficeret repugnantia chimæra, adhuc Deus maneret cum iisdem prædicatis essentialibus, & quidditatiuis, quibus de facto gaudet: at in eo euentu esset absolute potens producere chimæram, & non intrinsecè, aut essentialiter: igitur nec modò intrinsecum, & essentialiter Deo est, quod res producere potens sit. Maior est ipsa aduersariorum sententia, qui connexionem Dei cum repugnantia impossibilium diffitentur. Minor quoad priorem eius partem est eorundem, cum ex æquo negent, Deum non mansurum, si creatura repugnaret, & in chimæram transiret, & affirmant, Deum mansurum, si chimæra possibilis esset, & in creaturam conuerteretur: at si chimæra possibilis foret, & ex terminis non repugnans haud dubiè posset a Deo produci. Quoad posteriorem partem suadet eadem minor: quia si in illo euentu Deus foret intrinsecè, & essentialiter potens producere chimæram, non maneret sanè in eo euentu cum eisdem prædicatis essentialibus, & quidditatiuis, quibus de facto gaudet, cum de facto nullatenus producere chimæram absolute possit, nedum hac denominatio sit ei essentialis, & quidditatiua: Sed maneret cum iisdem prædicatis quidditatiuis in vtroque euentu; vt ipsi in confesso habent: ergo &c.

31. Neoterici, quos aliquando hoc vrgebam argumento, non sine acumine responderunt, deficiente repugnantia chimæra eam non transiunt in creaturam aliquam possibilem ultra eas, quæ modo sunt possibilem esse, vt de ea supponitur: quidquid enim concipi potest vltra creaturas modo possibilem, chimæricum, & impossibile per locum intrinsecum est: sed eam ituram in creaturam aliquam ex iis, quæ de facto sunt possibilem: quare Deum posse producere chimæram in illo euentu esset posse producere creaturam aliquam ex modo possibilem, ac proinde licet ea potestas absoluta producendi Deo essentialis sit, manere tamen posset Deus deficiente repugnantia chimæra, cum iisdem prædicatis essentialibus quibus modo gaudet. Quos tamen sic redargebam. In eo euentu fieret variatio ex parte termini, quem diuina omnipotentia essentialiter respicit, videlicet creaturæ possibilem: igitur etiam fieret variatio ex parte omnipotentia essentialiter respicientis: igitur tali in euentu diuina omnipotentia cum iisdem prædicatis essentialibus neutiquam maneret, vt solutio contraria intendit, vel prædicatum absolute potentis Deo essentialiter non est. Antecedens suadetur: quia tum creatura possibilis foret terminus ad quem conuersionis chimæra: nunc autem non est terminus, in quem chimæra conuertatur: igitur ex parte termini diuina virtutis, & omnipotentia fieret variatio, atque vicifitudo. Confirmatur: in eo euentu daretur ex parte creaturæ varietas sufficiens ad variandam, mutandamque cognitionem, quæ eam essentialiter, & verè representet: siquidem hæc propositio, chimæram in creaturam possibilem non est conuersa, modò est essentialiter vera, cum tamen in illo euentu vera non esset: igitur etiam tum daretur varietas sufficiens ad variandam omnipotentiam Dei, vbi hæc creaturam essentialiter respiciat, & possibilem postulet: igitur aut eam transcendentaliter, si e essentialiter

essentialiter non respicit, ut nos enititur, aut facta conuersione chimære in creaturam possibilem non maneret, ac proinde cum chimæra connectitur, quod aduersarij renuunt.

## CAPVT V.

## Cetera probationes verioris sententia.

32.

**A**rgumentor tertio. Possibilitas creaturæ in vnico tantum euentu manere potest, videlicet in euentu, quo Deus maneat: igitur vt Deus sit magis necessarius, quàm est necessaria creatura possibilis, debet in duplici euentu permanere, scilicet in euentu, quo possibilitas maneat, & insuper in euentu, quo illa deficiat per impossibile: at Deus non posset, nedum necesse haberet, permanere in duplici illo euentu, nisi à creaturis possibilibus esset absolutus, & ad eas transcendentaliter non relatus: ad eas ergo ita minimè refertur. Quod autem Deus sit magis necessarius, quàm creatura possibilis est necessaria, suadetur primo ad homines: quia, iuxta aduersarios non paucos, quoties vna necessitas oritur ab alia, ea est maior, à qua ducit originem altera, iuxta illud Philosophi, propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale: at creatura possibilis quatenus necessario possibilis, & non implicans contradictionem oritur à Deo, cum primum ens sit: magis ergo necessarium est, Deum esse, quàm creaturas posibles esse, quando, vt dictum est, posterior hæc necessitas ab illa priori ortum habet, non è contrario. Rursus absolute probatur id ipsum: quia Deus est magis ens, quàm creatura possibilis: tum quia est verior, & melior creatura possibili: maior autem veritas, & bonitas ex maiori oriuntur entitate, sicut veritas & bonitas simpliciter sumptæ proficiuntur ex entitate simpliciter tali: tum quia est maioris perfectionis, quàm creatura possibilis: perfectio autem cum entitate per identitatem cohaeret: tum denique, quia negari nequit, vnum ens alio esse maius: idque perspicue docuit Aristoteles 4. Metaphys. cap. 4. text. 18. *ibi: ipsum magis, & minus inest rerum naturis*, nec non B. Thomas 1. p. q. 2. art. 3. at si qua entitas alia maior est, ea certè est, qua Deus potitur comparatione illius, qua creatura competit. Tum sic: Deus est magis ens, quàm creatura possibilis: igitur est magis possibilis, siue aptus, aut non repugnans esse, quàm creatura possibilis, cum ratio entis consistat in possibilitate, & aptitudine essendi: igitur est magis impossibilis quoad non esse, quàm creatura possibilis, cum possibile esse idem sit, ac non possibile, siue impossibile non esse: sicut actu dari esse alicuius rei est non dari eius non esse, vt apertissimum est: igitur est magis necessarius, quàm creatura possibilis, cum necessarium esse aliud non sit, quàm impossibile non esse.

33.

Confirmatur, & declaratur superius argumentum: quia si Deus cum possibilitate creaturæ connecteretur essentialiter, cum possibilitas creaturæ è conuerso cum creatore essentialiter connexa sit, iuxta ea, quæ superius diximus, sanè Deus, & creatura possibilis æqualis forent necessitatis, ac proinde horum extremorum neutrum alteri necessitate præstaret: tum quia in nullo

euentu alterutrum deficere, aut manere sine altero posset ob mutuam, & reciprocam eorum connexionem: quomodo ergo non essent æqualis necessitatis: tum etiam à posteriori, quia qualibet diuinarum personarum æqualis cum altera necessitatis est, ob mutuam, alternamque connexionem, qua sunt inseparabiles inuicem. At quod consequens sit absurdum, & possibilitas creaturarum haud sit tam necessaria, à diuina essentia, & existentia paulò superius demonstratum est. Confirmatur iterum idem argumentum: quia negari nequit, quin maior veritas, magisue necessaria sit, Deum esse, quàm creaturam possibilem esse, vt iterum, atque iterum positum est: maior autem veritas, siue magis necessaria cum minori connexionem non habet; aliàs æquales non essent: ergo Deum esse suapte natura, & essentia non postulat, creaturam possibilem esse, nec cum huiusmodi possibilitate connectitur.

Postquam rationibus communibus nouam, & peculiarem lucem adhibuimus, operæ pretium erit, vt nouas etiam rationes addamus, quæ minus rem demonstrant, saltem valde probabilem efficiant. Itaque argumentor quartò in hunc modum. Nequit dari in Deo essentialis adhesio affectiua alicui obiecto, quod simpliciter infinitum non sit: igitur etiam ei repugnat essentialis adhesio physica, siue adhesio inseparabilitatis alicui termino, qui simpliciter infinitus non sit: creatura autem possibilis simpliciter infinita non est: ac per consequens adhesio physica inseparabilitatis, seu relatio ad illam Deo essentialis esse nequit. Antecedens cum innumera Theologis suppono, qui Deum non necessario, sed libere amare creaturas posibles tuentur. Confirmatur, & declaratur: necessaria adhesio affectiua obiecto finito manifestam imperfectiorem arguit: qua ratione bruta rationis expertia imperfecta sunt, quia in voluptatem, aut commoditatem finitam eis propositam necessario feruntur, quin ab ea diuelli possint: igitur necessaria, & quod plus est, essentialis adhesio physica, siue inseparabilitas cum imperfectione Deo repugnanti coniuncta est. Nec valet, creaturas posibles quatenus tales à Deo indistinctas esse, ac proinde Deum sibi ipsi, & nõ alteri essentialiter adherere, quatenus cum possibilitate creaturarum connexus est: hoc, inquam, momentum non est, quemadmodum enim Deo necessarium, & essentialis esse nequit, quod creaturas amatas per se ipsum denominet, eo quod earum perfectio finita, & limitata sit: pari ratione Deo essentialis esse nequit, quod eas posibles per se ipsum denominet; siqui dem earum perfectio finita est.

34

Argumentor quinto: quoties aliqua virtus est essentialiter productiua alicuius termini infiniti, nequit esse essentialiter productiua vllius termini finiti: at natura Diuina respicit essentialiter in actu primò Verbum simpliciter, & in omni genere infinitum, necnon Spiritum Sanctum: eorumque est productiua mediante Paternitate, & relatione Spiratoris, & in ordine ad eos ferax, & diffusiuua sui: ergo non respicit essentialiter in actu primò creaturam, qua finita, & limitata est; nec præcisè per se ipsam sumpta est eius absolute productiua, sicut ad relationem transcendentalem oportet. Maior probatur: quia Deus non obstante summa illa inclinatione,

35